

† 4. *Ab effectis, rebus scilicet gestis.*

† 5. *Ab adjunctis externis, sive a genere, officio, cognatione, vel amicitia, quæ ipsi nobiscum, vel aliis viris bonis intercedit.*

Atqui hi loci de promuntur è Genere Demonstrativo; seqq. verò è Genere Deliberativo.

† 6. *Ab honesto.*

† 7. *A fine sive utili.*

† 8. *A consequenti, sive gratitudinis & observantia promissione.*

Ubi observa 1. In commendationibus quibusvis, non loci quibusvis adhibeantur, sed pro qualitate personæ, rei & circumstantiarum, duntaxat aliqui. 2. Non excedatur modus in commendando. Onus enim est, quod Euripides dicit, nimium laudari 3. Non iis, qui nobis vel officio, vel familiaritate devincti sunt, prolixè commendentur alii, 4. Non commendentur ignoti, quorum vita & mores non satis perspecti & probati. Multò minus improbi, juxta illud Horat. lib. 1. Epist.

*Qualem commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.*

Exempla plurima commendationum suppeditat l. 13. Epist. familiar. Cicer. Item Scholæ Rhet. Melch. Junii. Exempla lib. 7. Ep. 5. & 11. Epist. 16. habet Dress fol. 375. Commendationem Studiosi, itemq. Scholastici fol. 377. & seqq. Quò brevitas gratiâ vos remitto. Superest Genus Judiciale, quod licet prolixum sit, & ob diversissimam causarum, quæ in judiciis tractantur, varietatem intricatum satis: nos tamen Generalia duntaxat ejusdem præcepta, brevibus exemplis declarata, cursim quæsi delibabimus. Id enim suadet materię qualitas, quæ non Scholarum classes, sed fori potissimum spectat actiones: jubet temporis, quæ intercludimur, angustia.

CAPUT XII.

† 1. **GENUS JUDICIALE EST, QUOD**
in controversiis forensibus versatur.

Nomen habet à judiciis, quibus accommodatum est.

Defini-